

quae est inspiratio divina et vis vitae, quae prius solo primocondito inspirata, et ab ipso omnibus suis posteris insita est. Spiritus revera immaterialis, visque immortalis; a tali enim essentia primum prodiit; qui una cum femine parentum, quasi propago et avulsio quaedam a spiritu illorum progreditur, et id forsitan magis prolificum reddit; cum quo uterum libidine valde turgentem ingrediens, quasi cum aura calide et illicebrose spirante, praegnantem eum vi sua animal conformanti redit, utero suggerente materiam pariter vivam. Motum autem primum cum embryoni tribuerit, qui et in tota ejus conformatione adjutor est; sensum postea et attentionem nato ei et perfecte quodam modo se habenti ingenerat (q). Cum temporis autem progressu per externa iterum sensoria vocem articulatam, voluntatem, et judicium, rationem etiam et reliqua, quae ad cogitationes pertinent, ei suppeditat, sensoriis internis, tamquam communi, imprimens omnia ea quae extrinsecus acquisiverit (r). Verum non omnes corporis actiones et semper sola anima perficit:

in-

---

(q) id. ib. §. 548. (r) id. ib. §. 444.